



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

stupor oppresserat, ut mihi, ad extremum vitæ casum adducto, nemo auderet in memoriam reducere, ut expiarem animum pœnitentia, meq; preciosissimi corporis tui viatico ad tam periculosum iter ornarem! At innocens ab iis, quamvis falso, existimabar. Concedo. at illud etiam venire hominibus peritis debebat in mentem, quod nemo mundus est à sorde, ne infans quidem, cuius unius diei vita est super terram. Quid tum merebar miser, nisi ut eoruere sineres, quo me præcipitem dabam; videlicet in profundum barathri, in miseriam sempiternam?

C A P. XV.

TV vero, Deus misericordiarum dominus, qui, cum maxime iratus fueris, misericordiæ recordaris, non es passus, non sivisti; sed, quoniam verberibus nihil profecisses, tentasti, num ad promerendam tibi voluntatem meam beneficia plus possent: ac statim me in pristinum bonæ valetudinis locum revocasti. Neque res aliter cecidit. nam periculi, quod evaseram, magnitudinem in ocio reputans, plane vehementer exhorruï; neque ita multo post nactus sacerdotem ex animi mei sententia, dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

C A P. XVI.

REvocatus igitur in cursum, dabam operam, quantum infirmitas mea patiebatur, ut neque declinarem ad dexteram, neque ad sinistram; &, si quando, vel ætatis fervore,
vel